



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In Qvo Genuina sententia profundissimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis Christi Salvatoris, & de prædestinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè ostenditur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

20. Magister Sententiarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13704

judicet alteri, nec infirmitas libertati, nec libertas infirmitati: quia nec infirmitas minuit libertatem, nec libertas aufert infirmitatem. Ecce nec minui quidem in ullo sentit arbitrij libertatem, per quamcumque peccati vel consuetudinis infirmitatem. Quod usque adeo verum esse censet, ut si vel tantillum diminueretur, arbitrium non amplius dici posset liberum. Constat itaque, adijcit, quia dominus arbitrium liberum dici non possit, si vel ex parte libertatem amisit. Quae sane de libertate coactionis sunt verissima; ac de illa sola sibi sermonem esse statim docet, dum tantum sentit abesse ut homo libertatem amiserit, ut potius adhuc possideat suam, & eius primum gradum ponit nulli coactioni subiacere, ut ex ejus verbis supra citatis liquet.

Sed in alio quodam opere quod de interioris hominis eruditione scripsit, adhuc evidentius, si evidentius dici potest, eandem arbitrij libertatem in coactionis immunitate constitutam esse, ac differentiam inter libertatem & potestatem trahit. Cum enim praemisisset, potestatem liberi arbitrij, videlicet ad bonum, non aliud esse nisi gratiam, tantumque non habere potentiam quantum gratia, & illa perenniter simul perire & potentiam, statim adijcit: Patet itaque ex his quod aliud est arbitrij potestas, atque aliud est arbitrij libertas. Aliud est enim magna posse, atque aliud est liberum esse. Et liber & infirmus esse potes, sicut e contrario & sanus & servus esse potes. Si sanus & robustus es, & multa & magna facere potes: Verum tamen si liber es, ad nihil cogi potes, vel debes. Et si amittis sanitatem, amittis pretium potestatem, non tamen & libertatem. Potestatis itaque est quod bonum facere possumus, quamdiu id facere valeamus; libertatis autem, quod ad nullum seu bonum seu malum invitus cogi possumus. Quare multi in definitione liberi arbitrij errant, qui inter potestatem & libertatem distinguere ignorant vel disti-

Lib. de erud. interioris hom. c. 30.

a. parte dist. 25.

mulant. Vide tamen quid intersit, cum potestatem homo saepe amittat, libertatem vero nunquam amittere possit. Item nemo ad omnia bona accipit potestatem: sed omnis homo ad omnia bona vel mala accipit libertatem. Nam uti dictum est ad nullum bonum vel malum INVITUS COGI POTEST.

Quibus principijs congruentissime Richardus non alter nostri consensus libertatem explicuit, quam quod sit spontaneus & voluntarius. Illud quippe spontaneum & voluntarium intelligit, quod à sancto Damasceno supra definitum fuit, hoc est, quod ex voluntate rationali cum finis & omnium circumstantiarum plena cognitione fluit: Quid est, erit sub te (appetitus) nisi sub arbitrio tuo? Eo quod quivis appetitus in alium non prodeat sine nutu spontaneo & voluntario. Et rursum: Nihil tamen horum omnium (scilicet appetituum) ad conatus sui exitum effectum, nisi ad liberi arbitrij nutum, voluntariumque consensum. Principatur itaque omnibus liberi arbitrij ultionem consensus.

Ex istis lineamentis facile est agnoscere Richardum in omnibus usque adeo consentite Bernardo & Hugoni, ut sententiam eorum subinde ad ipsa usque verba exprimere videatur; & quamvis strictius quam Bernardus, omnia tamen ejus doctrinae capita, quaedam apertius, alia latentius velut in principijs comprehenderit. Nam & istas tres species libertatis, à necessitate, à peccato, & à miseria, quam Bernardus & Hugo tanquam discipuli Augustini, expressis verbis tradidero, ipse alijs significandi modis designavit, dum primam vocat à coactione; alteram à subiectione, tertiam à possibilitate subiectionis, sicut paulo ante allegavimus. Ex his igitur auctoribus hausit Magister sententiarum illam divisionem triplicis libertatis, à necessitate, à peccato, & à miseria, quam omnes antiqui Commentatores ejus celeberrimam reddiderunt.

C A P V T X X.

Magister Sententiarum

POST sanctum Bernardum & amicos ejus duos Hugonem & Richardum, Primus occurrit Magister sententiarum, qui & istos & Augustinum accuratè secutus est, nec aliter nomen istud necessitatis accepit, quam sicut tunc temporis & multis ante seculis communiter usurpabatur. Apertissime quippe docet liberum arbitrium dici liberum, quia necessitatis, hoc est, coactionis immune est: Si diligenter, inquit, inspicatur, liberum videtur dici arbitrium, quia sine coactione & necessitate valet appetere vel eligere, quod ex ratione decreverit. Nequis vero scriptorum recentiorum falleretur, qui necessitatis nomen longè aliter quam ipse accipere solent, omnem ambiguitatis nebulam abstergit, id quod explicando subiicit: A necessitate & ante peccatum & post, aequè liberum est arbitrium. Ecce verba sancti Bernardi: Sicut enim tunc cogi non po-

terat ita nec modo. Et rursum idem repetendo inculcans: Ideoque voluntas merito apud Deum iudicatur, quae semper à necessitate libera est, & nunquam cogi potest. Nam de necessitate coactionis loqui Magistrum in illa divisione, unanimes est omnium veterum Scripturum & Commentatorum ejus sententia, ne uno quidem, quod sciam, dissentiente; Alexandri Halensis, Alberti Magni, Sanctorum Thomae, Bonaventurae, Guilielmi Antissiodorensis & Parisiensis, Aegidij Romani, Richardi de media villa, Durandi & ceterorum ingenti numero. Quo fit ut non sine stupore eam hic legerim nonnullos recentiores, qui ut libertatem à necessitate sicut ipsi eam intelligunt, libero arbitrio adversus Calvinum vendicent, Bernardum, Hugonem, & Magistrum Sententiarum pro se stare suspicari & proferre auli sunt. Non est opus armis tam adulterinis, ut Calvi-

ut Calvinus evertatur. Veritas, non fallitas A
errores destruere debet.

Hinc est igitur quod consequenter isti prin-
cipio Magister appetitissime, voluntarium &
spontaneum, liberum atque voluntarium in
rationali creatura confundit, imo idcirco li-
berum esse tradit quia voluntario spontaneo-
que motu fertur in objectum suum: *Liberum*
ergo dicitur arbitrium quantum ad voluntatem quia
voluntarie movetur. Et spontaneo appetitu fertur ad ea
potest, que bona vel mala iudicat, vel iudicare velit.
Hinc est quod hoc ipso quo libertas arbitrii
tolitur, etiam voluntatem tolli doceat; *ubi*
necessitas, (qua dixerat cogi non posse volun-
tatem): ubi non est libertas, ubi non est liberitas, nec
voluntas. Quia doctrina sicut & verba ex san-
cto Bernardo sumpta sunt, falsissima san-
e esse perspicuum est, si ne essitas pro simplici
firmitate ipsius voluntatis, determinatione
capiatur, cum nunquam sit magis voluntas, B
hoc est, nunquam magis aliquid velit,
quam cum ita firmiter vult, ut nolle non
possit.

Hinc ex eodem principio, allegatisque Au-
gustini verbis, quibus dixerat, beatorum ar-
bitrium esse liberum, longè que liberius cum
peccato non potest, consequenter docet, id-
circo esse liberius, quia ad bonum pronius,
hoc est, quia longe facilius, in eo immutabili
voluntate diligit bonum, quemadmodum Au-
gustini mentem in supradictis exposuimus:
Ecce his verbis (Augustini) evidenter asseruntur
quod post beatitudinis confirmationem, erit in homi-
ne liberum arbitrium, quo peccare non poterit, &
nunc in Angelis est & in sanctis, quorum domino
sunt, & tanto utique liberius, quanto à peccato im-
munitus & ad bonum pronius. Et mox illa ver-
ba subiungit, quod idcirco dicitur liberum
arbitrium, quia sine coactione & necessitate va-
let appetere vel intelligere quod ex ratione devertit. C
Quæ verissimam aptissimamque illationem
& rationem continent, præntis illius quam
præmiserat; ad indifferenciam vero nihil
proflus faciunt. Istum vero genuinum esse
Magister sensum, tum tota contextus & re-
rum rationumque eius consonantia ita pro-
fus clamant, ut non nisi oborto collo, imo
glossis textui aperte repugnantibus aliò tor-
queri queant, tum omnes veteres eius inter-
pretes consentent, ut mox ostensuri su-
mus.

Hanc itaque sententiam suam de libertate
arbitrii spectavit & melius explicuit idem
Magister distinctione septima, ubi rationem
reddens, cur Angeli mali & boni liberi sint,
quamvis illi bene agere, isti peccare non pos-
sint: *Dicimus, inquit, quod boni tanta gratia*
confirmati sint, ut nequeant fieri mali: & mali in
malitia adeo obdurati sint, ut non valeant fieri
boni: & tamen utrique habent liberum arbitrium, D
quia & boni non aliqua cogente necessitate, sed pro-
pria ac spontanea voluntate per gratiam quidem
ad bonum eligunt & malum respuunt: & mali
similiter spontanea voluntate à gratia desituti, bo-
nam vitant & malum sequuntur. Nihil eviden-

tius ad explicandam plene sententiam Ma-
gister proferre potuisset, quam propterea in
isto eodem sensu plerique veteres interpretes
secuti sunt.

Neque quicquam ad illam sententiam re-
probendam facit, quod in eadem distinctione
dicit, liberum arbitrium esse liberum ad
utrumlibet videlicet bonum & malum, sicut
eum hoc intelligere tum ibidem, tum ex di-
stinctione vigesima quarta certum est: hoc
enim & Augustinus, & Bernardus, & Damal-
cenus creberrimè dicunt, & sine fidei latio-
ne negari nequit. Sed alio longè sensu quam
Scholastici purant, hoc intelligunt: & in Deo,
Angelis, tam damnatis quam beatis non ha-
bere locum, nemo dubitat, & Magister in ea-
dem illa distinctione profiteretur. Multo mi-
nus ad propositum facit id quod Magister di-
cit, ea tantum sub potestate liberi arbitrii ve-
nire, que per liberum arbitrium possunt fieri vel non
fieri. Quis enim ea de re dubitaverit? Sed in-
ter ea quæ à libero arbitrio possunt fieri vel
non fieri, imprimis est ipsum velle, sive fir-
miter & obstinatè, sive hesitante velle. Per
illa quippe verba nihil aliud voluit, quam id
quod Augustinus sape ac dilerte explicuit, ea
sub liberum arbitrium venire quæ sunt in no-
stra potestate, hoc est, quæ sunt cum vo-
luerimus, sive, ut ait in libris de Civitate,
quæ si nolumus, non utique faceremus. Quod pri-
mo, inquit, pertinet & ipsum velle. Nam si volu-
mus, est, si nolimus non est. Non enim vellemus,
si nolumus. Quod de omni omnino voluntate,
sive nostra, sive beatorum, sive damnatorum
verum est. Hoc enim Magister velle ex
verbis mox subiectis liquet: *Si quis enim tale*
quod velit ac disponat facere, quod in eius nullatenus
sit potestate, vel quod sine ipsius dispositione aque fie-
ret, id est, quod æque fieret etiam si noller,
cujusmodi est effectus naturæ & æquicum-
cu: violentæ potestatis, ipse in hoc liberum ar-
bitrium non habet. Quod nihil verius & Augu-
stino Bernardoque conformius cogitari po-
test. Hinc est igitur quod Magister bis in ea-
dem distinctione vigesima quinta repetat, ar-
bitrium in bonis & malis, & ante & post pec-
catum æque liberum esse. Quam sententiam
mutuatus est à Bernardo, qui non aliam quam
libertatem à necessitate coactionis intellexit,
ut supra vidimus, neque juxta Scholasticos
antiquos, qui Bernardum citaverunt & secuti
sunt, ipsamque rerum evidentiam, aliter in-
telligi potuit. Cum perspicuum sit libertatem
ab illa voluntaria & amata vel damnata ne-
cessitate longe minus in beatis damnatisque,
quam in hominibus viatoribus & maxime
primo homine reperiri, ubi voluntas erat
penitus in æquilibrio, quam neque quicquam
à bono retraheret, neque instigaret ad ma-
lum, quemadmodum in eodem loco ex pro-
fesso Magister docet.

Quapropter nemini dubium esse puto ex ijs
quæ produximus, quis Patrum antiquorum
sensus fuerit de illa libertate, unde liberum
arbitrium generaliter appellatum est, prout
Gg viato-

viatoribus, beatis, damnatisque, sive hominibus, sive Angelis, atque adeo ipsi Deo commune est. Neque quisquam ex eo confectum esse putet, nullam superesse libero arbitrio indifferentiam: in Deo quidem beatisque creaturis ad opera bona, in damnatis ad mala, in viatoribus ad bonum & malum. Absit ut hoc vel Augustinus, vel quisquam illorum scriptorum, quos protulimus, suspicatus fuerit: cuius contrarium ex Augustini scriptis infra adversus haereticos nostri temporis probatum sumus. Nam secundum diversitatem statuum creaturae sive naturae rationalis, in differentia quoque in operando diversa est, sive ad bonum tantum, sive ad malum tantum, sive simul ad bonum & malum. Sed hoc tantum asserimus, non in istis indifferentijs, quocumque modo tandem ipsae illae intelligi debent, esse sitam, juxta scriptores illos, essentialem arbitrij libertatem ex qua liberum nuncupatum est, atque ita dari posse in aliquo creaturae statu nonnullos actus liberos, qui a voluntate liberrima, proprieque dicta arbitrij libertate quamvis determinatissima proficiantur. Hoc enim illi antiqui Patres aperte docent & ex principijs eorum invicte sequitur, & exemplis astringunt. Peritissimi sunt, sanctissimi sunt, ab omni erroris suspitione remotissimi: qui temporibus suis domum Dei velut

^A immobiles columnae fulciorunt, doctrinaeque Catholicae sanitatem ab omnibus haereticorum erroribus tutati sunt. Neque quicquam ad illam eorum sententiam infringendam valet, quod saepe dicitur hominem in sua potestate habere ut faciat bonum aut malum, hoc vel istud, agat aut non agat. Certa ista veritas est, fatcor, & sine errore negari nequit. Sed quia veritas non repugnat veritati, neutra excludit alteram, ut paulo post dicendum erit. Quod quia non satis attente a nonnullis ponderatur, hallucinandi multis occasio fuit. Hanc interim quam produximus doctrinam faciem, quae libertatem arbitrij proprie dictam in immunitate a necessitate coactionis collocat, Scholastici vetustissimi, quanto Patribus istis gratiae, tanto etiam doctrinae lineamentis propinquiores, ad unquam expresserunt. Sed paulatim ab illa praevia libertatis intelligentia declinari ceperunt, eoque rerum nostra aetate ventum est, ut illa Augustini, Bernardi, Magistri & ceterorum doctrina, vix auribus quorundam ferri, vix sine erroris suspitione tradi possit. Non quod illi recentiores liberi arbitrij peritiores facti sint, sed a tradita majorum doctrina remotiores. Quod ne temere dictum judicetur quid Scholastici Patribus istis vicinissimi de libertate senserint, tantisper videamus.

CAPUT XXI.

Alexander de Hales.

^S I QUIDEM istam Magistri & Bernardi sententiam ut a nobis explicata est, vel potius Augustini & antiquorum Patrum, primi interpretes Magistri, imo & ceteri Theologi non interpretes ejus pleno consensu secuti sunt. Inter quos primus a Magistro occurrit doctissimus ille doctissimorum discipulorum sancti Thomae & Bonaventurae institutor Alexander Halensis. Tantam enim lucem, firmitatem, fiduciam, hanc doctrinam tradit, ut contraria tunc temporis profus inaudita fuisse videatur. Itaque in secunda parte summe quaestione septuagesima secunda sic loquitur: Ad primum dicendum quod est triplex libertas, scilicet naturae, gratiae, & gloriae. Libertas naturae libera est a coactione, libertas gratiae a culpa. Quando ergo dicitur quod separatum auget, & additum minuit, non est pars istius non intelligitur de libertate naturae, quia illa non potest augeti vel minui (Bernardus: sicut in bono ita & in malo aequae perdurat voluntas) sed dicitur respectu eius quod est a culpa & a miseria. Et articulo tertio membri secundi: Respondeo, inquit, quod liberum arbitrium tripliciter consideratur, uno modo secundum quod non cogitur, & hoc modo dicitur liberum, quia indifferenter est boni & mali. Quod statim iterum repetit: Ille auctoritates, inquit, quae concludunt quod liberum arbitrium est indiffe-

^A renter boni & mali, intelliguntur de libero arbitrio secundum naturam illam, secundum quam non cogitur. Et eodem articulo 3. quo quaeritur a qua libertate liberum arbitrium nomen sortitur, an a libertate naturae seu coactionis, an gratiae, an gloriae, sic resolvit: Libertas aliquando dicitur habitus naturalis, aliquando accidentalis. Secundum vero quod libertas dicitur habitus naturalis, rationalis naturae qua cogi non potest, non recipit magis & minus, sed aequae est in omnibus rationalibus creaturis. Unde Bernardus dicit: Libertas a necessitate Deo & universa creatura rationali indifferenter convenit, nec magis bona quam mala &c. Et secundum quod libertas sic dicitur liberum arbitrium, dicitur liberum principaliter ratione libertatis naturae. Secundum vero quod libertas est habitus accidentalis, sic est liberum arbitrium diminubile vel etiam amissibile, & recipit magis & minus. &c. Et in alio loco ejusdem quaestions: Liberum arbitrium est commune homini & Angelo bono & malo. Bernardus: Libertas a necessitate, id est coactione non maior est in iusto quam in peccatore, nec plenior in Angelo quam in homine. Et iterum: Diabolus libere corrumpit in malum, & persistit suo voluntario motu non libero impulsu. Resolutionem autem istam probavit ibi hoc argumento: Vbi est coactio non est ibi laus vel vituperatio, sed in malis Angelis vel bonis est laus vel vituperatio, quia boni Angeli laudantur, mali vituperantur, ergo non est in eis coactio

Alexander Halensis 2. p. 72. mem. 2. a. 2 ad 1. in editione antiquissima. art. 3. mem. 2.

art. 3. ibi. mem. 3. & 3.